

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0818

0816

0822

0812

0827

0807

0867

0767

0917

0717

0317

Ende

Anfang

245

non modicam de eadem, deinde sudarium Domini, camisiam
beatae Mariae Virginis, fasciam, qua beata Virgo strinxit pue-
rum Jesum, praesepii dominici partem, ferrum lanceae, quo
latus Domini transfixum fuit, et brachium S. Simeonis et
plura alia accepit vir ille magnificus cum maxima devotione
et plurium miraculorum ostensione, sicut patet in Spec.
histor. Libr. XXV. c. 5., eaque in Alemanniam detulit, in
civitatem sedis sua Aquisgranum, et in ecclesiam b. Virgi-
nis, quam aedificaverat, collocavit, quae ibi hodie in honore
habentur et ostenduntur de septenio in septenium; ad quam
ostensionem innumera confluit fidelium multitudo, et praecipue
Ungari cum turmis magnis fines suos egrediuntur et in Aquis
congregantur. Has reliquias ego ipse vidi anno Domini 1468.

Aliquas etiam reliquias retinuit in curia sua easque de-
putavit pro curia imperii, et has cum imperialibus insigniis
pretiosissimis ad locum certum imperii depositus, unde nunc
apud Segodunum, quod est Nüremberg, reposita habentur
et annis singulis feria VI. post Quasimodo etc. ostenduntur,
concurrente ad hoc maxima hominum multitudine.

Si vero princeps aliquis Nürembergam accedit extra prae-
fatum tempus, eidem ea videnda proferunt. Unde anno Do-
mini 1486 dominica Cantate, dum essent fratres provinciae
nostrae capitulariter ibi congregati, exhibuerunt nobis illa
insignia videnda, palpanda et deosculanda, inter quae etiam
ferrum illud sanctissimae lanceae Domini est, quod cives illi
singulis fratribus tractandum propriis manibus pro singulari
Ordinis reverentia obtulerunt. Ibi vidimus et capitibus no-
stris imposuimus pretiosissimam auream gemmatam coronam
Caroli et sceptrum aureum, pomum aureum, calcaria aurea
et caetera imperialia insignia, quae omnia eadem septimana
in Nürembergam reducta fuerant a Francofurtia; ubi gloriosus
victoriosusque Dux Austriae Maximilianus, filius magni Fri-
derici III., in Romanorum regem electus fuerat et his insigniis
sacris investitus.

Ecce, quam longe compellit me evagari per mundum
evagatorium nostrum! Jam Jerosolymam revertar, quae post
discessum (268 A) Caroli M. aliquibus annis in pace ste-
tit, et occidentales sine omni gravamine ad loca sancta

